

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Andreae Alciati Emblemata

Alciati, Andrea

Patavii, 1661

Malus medica. Emblema CCVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-127360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-127360)

aut cohiberi posse videbatur, nisi factio ipsa discissa, ac in se diuisa primùm fomēta ac semina discordiarum retardasset. Nam hoc nouum portenti genus & exemplum insolens edidit turbulenti, vt de ijs peius meriti sint, qui suae coniurationi nomēta dederant, quàm alij, qui contrā palam stetitē. Ita rabie perciti sibi ipsis vim attulerunt, seseq; confoderunt, & in exitium spontaneum coniecerunt. At verò quàm innumerabiles ex ijs, qui de vita potius, quàm de sententia decedere maluerint?

imo superlunt adhuc qui restinctis motuum incendijs, animum tamen armatum retineant; & nescio quid mulsant adhuc, cum apertè eloqui non audeant. Horatius 4. Carm. 4. illicem pro nota fortis animi vsurpauit, dum ait:

*Duris vt illex conssa bipennis
Nigra feraci frondis in Alcido,
Per damna, per caedes, ab ipso
Ducis opes animumq; ferro.*

Sed de his satis; ad alia festinemus.

*Ilex nota
animi
fortis.*

Malus Medica.

EMBLEMA CCVII.



AUREA sunt Veneris poma haec: incundus amarus
Indicat, est Graecis sic γλυκὺν ἄμυρον amar.

COMMENTARI I.

ARBOR haec nō admodum magna
est; rami eius lenti & obsequiosi cor-

tice vident, & spinulas aliquas, non tamen
frequentes adnatas habent. Folium oblongum
confide-
ratio.

Fructus

gum, latum, laeve, odoratum, laurino simili: flores subpurpurei, staminibus in medio tenuibus & capillaceis. Fructus oblongus est, cucumere vulgò dicto non ratò maior, quandoq; minor, & limonia mala non multum magnitudine excedens: cortex huic diluti aurei coloris, tuberculis nonnullis exasperatus, odore grato præstans; subest caro crassa, albida, dura, aromaticū quid respiciens, sed exiguum, & neq; acris, neque acida, sed ferè qualitatis gustabilis expers: interior medulla non multa quidem, succo acido plena turget, in qua semen conditur hordei grano maius & crassius, cortice dato, interiore substantia albida & amata. Hæc arbor perpetuò viret, & omnibus temporibus promifera est, alijs cadentibus, alijs maturefcantibus, alijs verò subnascentibus. Appingitur hic Venus nuda, vt pote cui poma sacra sunt; & ex altera parte Amor mellilegus, de quo alibi.

I I.

Amor γλυκύπιπρος

SCRIBIT Plato, teste Marfilio Ficino in Symposium, amorem rem amarā esse; nec certè iniuria, quia moritur quisquis amat. Hunc & Orpheus γλυκύπιπρος, id est, dulce amarum nominat: quippe cum amor mors voluntaria sit. Vt mors est, amara res est; vt voluntaria, dulcis: moritur autem quisquis amat. Hæc Ficinus. Meminimus huius argumenti supra in duobus locis, nempe Emblem. 114. in scuto Amoris, & Emblemate 112. Confer vtremq; Emblemate verò 113, acutissimus Amorem mellilegum Theocriti, Latine redditum, quem ita vertit lingua Hetrusca Reuerendissimus P. Nicolaus Oddo, quem semper honoris & reuerentia debita causa nomino.

Amor mellilegus Theocriti

Eterna il ladro Amore
Vn giorno dale celle
E di quest'api e quelle
Il mele; quando ape sdegnata il punse,
E da le dita il sangue trasse e munse.
Volando ratto ei corse
A la pia madre, dibbattendo i piedi
Piangendo la ferita,
E di chi il punse e morse
Dolendosi, le dita
Mostraua: Ahime, dicendo, ah! madre,
vedi
Piagha quante, e qual face
Picciolo animalino,
Picciolo si, ma audace.
Ed ell'pur ridendo: E tu bambino

Sei, disse, à l'ape mal vgnal, e fus
Piaghe profondo, e non sanabil mai.
AVREA sunt Veneris poma] Pomum

III.
Malum Medicum

Veneri sacrum esse, alibi diximus; vnde etiam aureo malo ob id à Paride donata fuit. Malum Medicum siue Aisyriū Grecis μῆλον μεδικὸν ἢ κίτρον, dicitur; Latini etiam Citrium & Citromalū vocant: Imò Galenus amplius malum Medicum vocari negat, sed Citrium dicit, atque eos qui Medicum dicunt, hoc agere ait; vt quæ loquuntur nemo intelligat. Amilianus apud Athenæum, tubam Mauritaniam regem refert de Citrio meminisse, qui malum hoc apud eos Malum Hespericum dicit nominari. A Media autem primum in Italiam venisse nō modò Plinius aperit scribit, sed & Virgilius de Malo Medico (quidquid contra ganniat Comætarores) scribens sic ait 2. Georgic.

Vnò sic dictum.

Media fert tristes succos, raræq; saporem
Felicis mali, quo non presentius ullum.
Pocula si quando saua infectæ nouere,
Miscueruntq; herbas. Et non innoxia verba,
Auxilium venit, ac membris agit atra tœnena.
Ipsa ingens arbor, faciemq; simillima lauro;
Et si non alium laud inæreæ odorem.
Laurus erat, folia haud ullis labentia ventis
Flos apprima senæ, animas Et olentia Medi
Ora fouen, illo, Et senibus medicatur amhelis.

De hac arbore vide Theophrastum lib. 4. cap. 4. & Plinium lib. 12. cap. 3. Sed Plinius & Theophrastus emendari possunt ex Athenæo, lib. 3. nam diminutiu sunt in hac parte.

Iucundus amavor.] Paronomasia elegans, quam lepide viurpauit aliquis è recentibus ita:
Non amor antiquo fuerat, sed amavor abano
Dicendus, cum sit semper amarus amor.
γλυκύπιπρος amor.] quasi dicas, dulce-amarus. Sic Musæus:
ἤδη τὸ γλυκύπιπρον ἰδίῳ αὐτο κίτρον ἢ κρεσῖ, ῥώτων.

Amor γλυκύπι

Iam & dulcem amarum acceperat aculeum amorum.
& apud Hephæstionem Sappho ait:
ἔρας γλυκύπιπρον ἀμάχανον ὄρετρον.
Amor vincimara auis inexorabilis.

Eadem ratione γλυκύθυμα dicitur voluptas. Huc facit prouerbium, *Dulce & amarum*. De amore etiam, qui γλυκύτιμος appellatur, Plutarchus 5. Sympos. problem. 7. Huc verò saporem dulcissimum explicat Galenus lib. 3. de simpl. medic. facult. cap. 16. Si parum, inquit, absinthij portionem melli exquisitè commistam linquæ imponas, γλυκύτικρον (quemadmodum Poeta cognominat amorē) quod ex ambobus mistum fuerit, videbitur.

γλυκύτιμος
quæ
sapor.

IV.
Citrus,
Amoris
symbolū.

MEDICA malus, quæ & Citrus, & apud nostros ob aliquam cum auro similitudinem nomen reperit, non inconcinne amoris potest esse nota. Est enim coloris aurei, dulcis quidem & austeri non nihil saporis habet, sed amari corticis: ita turpis voluntas primo blandiens aspectu, tota videtur aurea, sed ubi gustu dulce dedit, amarum ad satietatem usque aggerit, quod γλυκύτιμα nomen indicat. Hanc autem γλυκύτικρότητα in Lyde expressit Horatius lib. 1. Ode 13.

Vror, seu tibi candidos
Tur arunt humeros immodica mero
Rixa: sine puer furens
Impressit maiorem dente labris notam.
Non, si me satis audias,
Speres perpetuum, dulcia barbare
Ludentem oscula, qua Venus
Quinta parte sui neccitatis imbuat.
Idem Ode 19. sequenti:
Vrit me Glyceræ mitor
Splendentis Pario marmore purius:
Vrit grata proteruitas,
Et vultus nimium lubricus aspici.
In me tota ruens Venus

Cyprum deseruit.
Plautus Cassina, Act. 2. Scena 4.
Neq; falsum, neq; suauē esse potest quicquam, ubi amor non admiscetur.
Hæc dum commentor, offert se mihi tanquam exemplum quidam de meo contubernio (nomen consuleto suppressere iussit) mensæ asclepias, synchronos & equalis ætatis mecum & educatus, alius paribus incrementis, eadem cura, arcanorum meorum particeps, quem Amor iste γλυκύτικρος tangit & angit, viget & vrit. Causa caputq; huius est Cælia famosissima & famosissima, addo & doctissima.

Cælia Comica, cuius decens corporis habitus, sermo eloquens, acutus discursus face acutissima accendit plurimum & velut cor-

riualium pectora, & suauis quodam aculeo non patulas modò aures, sed & ipsos animos penetrat, hæret & ferit.

*Amphion scopulos, Delphinus traxit Arion,
E densis Orpheus horrida bruta iugis.
Non scopulos, non Delphinus, non horrida
bruta.*

*Nos trahit ex verbis Cælia pulchra suis,
Cur non blanda trabas doctis nos Cælia
verbis?*

Solus id aspectus vel sine voce potest.

Quid de gestu iam dicam? quo vel ipsum Roscium prouocare ausit. Si irascitur, frons caperata è fulgurantibus luminibus telatris fulca Iouis vibrat. Si ridet, totus vultus depulsa nube in gratam & amenam se iterat proteruiam. Si discurret, videas serena seueritate, & seuera serenitate permistam frontem: audias prægnantes sententias, grandisona verba, quæ fauces concipiunt, lingua & candentes dentes moderantur, rosea labella ore teret, edunt, vt singulari naturæ miraculo coralia loqui, & margaritas subridere credas; quibus omnibus delicatula & albicans manus gratiam addit, & quasi ludibunda applaudit. Sic irata Iunonem, ridens Venetem, & vbiq; Mineruam repræsentas. Hæc nõ ideo scribo tanquam formæ encomiastes (releuata enim est alteri, qui integro libello edito eam breui celebrabit, hæc prouincia) sed tanquam raræ virtutis in viragine admirator: vtq; eandem ad maiora inuitem & incitem, quo ipsius Geniis & ingenij, imò & florida ætas aperta via eam ducit, Deinde ad nostrum γλυκύτικρον, vt intelligas.

..... κούραι, ΚΟΙΛΙΑ,
Απαντα τὰλλα τις δύναται ἀπὸ πλῆν
δυσῶν,

Οἷόν τε πίνων, εἰς ἔρωτά τ' ἔμπεσῶν,
Αμφοτέρω μνησεί γὰρ ἀπὸ τῶν βλέμ
μάτων,

καὶ τῶν λόγων αὐτῶν ὡσεὶ τὸς ἀρνημένους
Μάλισα ταῦτα καταφανείς πολλοῖς
ποιεῖ.

Nec malè quadrat in amorem γλυκύτικρον illud, quod Martialis in cuiusdam φιλομισοφιλίαν iustit;

*Difficilis, facilis, iucundus, acerbus es idem:
Nec possum te non viuere, nec sane te.*

Plura habes de hoc argumento supra citatis Emblem. 112. 113. & 114.

Buxus

Eius in
actione
dexteri-
tas,

